heſect pro libertate ſua iudeorum. Heſter quarto.

¶ Daniel duos preſpiteros contra ſuſ ſannam vementes conuicit. Danielis. xiij.

¶ Item viſiones nabuchdonoſor prudenter expoſuit. Danielis. ij. et. iij.

¶ Judas machabeus prudenter ſe ſubtraxit quando nichanor eum dolo capere voluit. i. Machabe. vij.

¶ Conſtitutus fuit dies in qua iudas cum nichanore loquebatur ipſe autem iudas precepit armatos eſſe in locis oportunis ſi forte aliquid mali operaretur. ij. Machabeorum. xiiij.

¶ Cum iuſſiſſet tribunus paulum cedi flagellis reſpondit paulus prudenter centurionem ſibi aſtanti ſi licet vobis hominem romanum indempnem flagellare et diſcedebant qui eum torturi erant. Actuum. xxij.

¶ Cum veſſet paulus a grecia in ſiriam nauigare ut intelligeret ſibi a iudeis paratas inſidias prudenter declinauit et venit per macedoniam. Actuum. xx

¶ Item nota de eius prudentia. Actu. xxiij. Cum sciret quod iudei iurauerant cibum ſe non guſtaturos donec eum occiderent ipſe fecit hoc prudenter tribuno nunciari qui eum de nocte ad felicem preſidem cum armatis tranſmiſit et plura alia ¶ Nota ibidem cum feſtus preſes vellet paulum econtra in iheruſalem reducere ſciens paulus eorum maliciam diſcrete et prudenter ad ceſarem appellauit. Actuum. xxv.

¶ De pueris bone indolis.

Yſaac nec contradixiſſe nec murmuraſſe legitur quando pater voluit eum ymmolare et occidere. Geneſis viceſimoſecundo

¶ Joſeph fratres ſuos apud patrem ſuum de crimine peſſimo accuſauit id eſt eum videderunt per quod patet quod mundus erat et peccatum eorum deteſtabatur patri vero volenti eum ad fratres mittere ait preſto ſum Geneſis triceſimo ſeptimo.

¶ Samuel puer bonus miniſtrabat in conſpectu dei. i. Regum. iij.

¶ David puer paruus et humilis erat quando in regem vnctus eſt primo Regum. xvi.

¶ Joas filius ioram regis iuda puer ſeptem annorum quando regnare cepit fecit quod bonum erat cunctis diebus ioiade ſacerdotis quarto. Regum duodecimo Poſt mortem autem ioiade conuertit ſe ad malum

¶ Octo annorum erat ioſias cum regnare cepiſſet fecitque quod placitum erat coram domino. iiij. Regum. xxij.

¶ Thobias cum eſſet iunior omnibus in tribu neptalim nichil tamen puerile geſſit in opere Thobie. i.

¶ Preterea cum filium genuiſſet eum timere deum docuit ab infancia ab omni peccato. Thobie. i.

¶ Daniel et ſocij eius ſine magiſtro et doctore legem dei ſeruantes ſobrie pie et iuſte inter prauos gentiles vixerunt. Danielis. i.

¶ Septem filij matris ad mirabilem ſapientiam in reſponſionibus mundiciam in moribus pacienciam in aduerſitatibus habuerunt ſecundo. Machabeorum. vij.

¶ Johannes baptiſta puer creſcebat et confortabatur ſpiritu ſancto et ſancte et munde ſemper vixit Luce ſecundo

¶ Puer iheſus humilis et ſapiens ſubditus parentibus erat Luce. ij.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf